



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs  
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

2. Cur Deus permittit super nos varia aduersa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

## 310 CATECH. C. CLING.

Impatientiam contra Deum & proximum: hoc enim  
graue est peccatum: sed cogitamus quod ait Christus  
Mat. 5. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur,  
& Ioan. 16. Pressuram habebitis in mundo, sed luctus  
vester conuertetur in gaudium, & dicimus: Domine,  
fiat sicut tu vis, & non ego, vt Christus ait in horto,

Matt. 26.

2.  
Causa.

Causa II.

Psal. 90.

Secundò, prima causa cur Deus crucem & tribula-  
tionem permittit super nos, est, quia regnum Christi  
erit noua & æterna iustitia & vita: haerent autem in  
corpo nostro reliquiae peccati, ideo hoc corpus ab-  
oleri vult, ac subiecit afflictionibus & morti, vt po-  
stea noua & spirituali natura vestiatur & glorificetur,  
quæ sine peccato & morte erit. Rom. octauo. Corpus  
mortificatur propter peccatum. & cap. 6. Vetus no-  
ster homo simul crucifixus est, vt destruatur corpus  
peccati. & sic expectamus redemptionem corporis  
nostris ad Philipp. tertio. Nostra cotiuersatio in ce-  
lis est, vnde & expectamus Dominum nostrum Ie-  
sum Christum, qui reformabit corpus humilitatis  
nostræ &c. sunt persecutio[n]es, lotio[n]es, & munda-  
tio[n]es à reliquijs in carne peccati. Psal. 118. Bonum  
mihi quia humiliasti me, vt discam iustificationes  
tuas. Altera causa est, vt habeamus occasionem exer-  
cendæ fidei & inuocationis. nam certò tenenda est fa-  
des quod Deus sit nobis præsens, & opem ferat, & ad  
nos iuuandos festinet cum adiutorio suo. Psal. 90. Li-  
berabo eum & protegā eum &c. Et iterum, Cum ipso  
sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eū.  
Et hæc promissio fidem exigit certam, quia Deus né  
tiri no potest: ideo vt Deum inuocemus in tribula-  
tione: nam hanc inuocationem à nobis exigit & est  
cultus DEI, Psalm. 88 & 90. Ipse inuocabit me, &  
ego exaudiā eum: & hæc liberatio testatur Deum  
adesse, & nos illi esse curæ, & fit deinde notitia DEI  
per hanc occasionem illustrior, & crescit in nobis, si-  
eut do-

ent docent exempla patrum, Manasse regis, secundo. Paralip. 33. & Paulus 2 Corinth. ultim. iubet orare & gratias agere, ut misericordia & notitia Dei fiat illustrior. Multò autē meliores sunt eç afflictiones, quas Deus immittit, quām quaū ipsi nobis causa sumus, & maximē sine fide, scilicet quando putat se huiusmodi afflictionib. mereri vitam æternam. fides credit & tenet, quoniam propter nomen Christi & ihu sanguinem saluamur: tales erant afflictiones Sacerdotū Baal, qui cutem suam gladijs lacerabant, & quidam hæretici qui semetipso vulnerabant, & dicebant se talia passos à latronibus propter iustitiam, 3. Reg. 18. vt Philastrius meminit &c. Proximū autem aliquando sponte accersitæ afflictiones, quando fiunt sine superstitione, id est, dum non accedit falsa opinio, quasi his mereamur vitam & iustitiam, sed prout sunt mortificatio & quædam coactio corporis, ne ni mium indulgeat voluptati & lasciuiae. Sic iubet Christus caueri, ne corda grauentur crapula & ebrietate, &c. Lucæ 21. & 1. Corinth. 9. Paulus castigat corpus. Sic sancti patres & eremitæ sua corpora castigârunt ieunijs, & vigilijs, laboribus, siti, esurie, frigore, &c. 2. Corinth. 11.

Tertiò, afflictiones sunt sacrificia, si patienter perferantur, siue à natura, siue sequitia hominum illatæ. Habet etiam natura sua incomoda, quæ sunt pœnæ peccati, & fiunt voluntate Dei, scilicet diutina infirmitas, cæcitas ac cæteræ crucis, quas in mortali corpore sentimus: multæ etiam sunt tribulaciones iustorum à mundo illatæ, sed cum fuerimus patientes secundum voluntatem Dei, 1. Petr. secundo, tunc fiunt sacrificia nostra quæ Deo offerimus, & sunt illi grata & accepta, Psalm. 50. sacrificium Deo Spiritus contribulatus. Rom. 12. Præbete corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem. Si igitur vis D E O aliquid offerre, patientem animum in ad-